

439

437

443

433

448

428

488

388

538

338

Ende

Anfang

428

ecclesias, monasteria aedificant, personas nutriunt, et cottidianeae grandes ciyium eleemosynae. Nobiles enim et cives de populo honorabili ab hac vita decedentes decimam pecuniae, in qua fere omnia eorum bona consistunt, ecclesiis et ecclesiarum ministris derelinquunt, et inde ditantur monasteria, et cum hoc viventes sunt magni eleemosynarii.

Sed et praeter ecclesias et monasteria sunt in urbe illa scholae fraternitatum multae et magnae, ubi una schola vel fraternitas habet sexcentos viros, qui conjurant et leges inter se statuunt ad serviendum alicui Sancto, ut puta S. Marco vel S. Petro martyri vel beatissimae Mariae Virgini vel sanctae (219 a) Trinitati vel S. Johanni vel S. cruci, et talis fraternitas denominatur a Sancto, cui se devovit, et dicitur schola S. Marci, vel schola beatae Virginis, vel sanctae crucis. Et in his fraternitatibus sunt cives optimi, praecipue in fraternitate S. Marci, quae potentior et diutor est habetque suam scholam apud fratres nostros ad S. Johannem et Paulum pretiosissimam, auro ab intus vestitam, quae anno praeterito exusta fuit usque ad fundamenta, nunc autem omnia de mari ex integro nova resuscitant cum solidissimis fundamentis. Sic ergo conjurati in aliquam societatem pro tempore in scholam conveniunt, in qua cistas, candelas et ornamenta altarium habent, et ad cypnum vel pyxidem pecunias statutas ponunt et defectuosos in aliquo secundum tenorem statuforum pecuniaria poena puniunt; unde contingit, aliquam scholam thesaurum non modicum congregare, de quo ornamenta sacra suae societatis comparant, lampades semper ardentes constituant, sacerdotes conducent, religiosos nutriunt, hospitalia solantur, pauperibus subveniunt, captivos propter debita de carceribus eripiunt, servos emittios redimunt et libertati restituunt, pueris pauperibus viros dant et dotant (eas), masculos orphanos ad mechanicas artes addiscendas ponunt et ad similia pietatis opera thesauros illos expendunt. Habent insuper in scholis illis habitus multos albos, quasi ad modum Carthusiensium, et in communibus processionibus simul bini et bini incedunt in habitibus istis sicut monachi. Nonnullae fraternitates habent habitum ita formatum, ut facies sit velata et per duo foramina habeant visum, et retro dorsum sit denudatum, et circumeuntes quilibet habet flagellum et se ipsum verberat, ad quemlibet passum se percutiens, nec possunt videri,

